

115

113

119

109

quem tamen nos non intelleximus, et sermone finito in domum
nostram reversi sumus.

124

Duodecima die, quae est Nerei, Achillei, et Pangratii
martyrum, navigavimus ad ecclesiam S. Zachariae, et Missae
ibi interfuius. Post Missam denuntiavimus Abbatissae mona-
sterii annexi ecclesiae, rogantes: ostendi nobis reliquias. Sunt
enim moniales divites et nobiles satis seculares, Ordinis S.
Benedicti. Patefecerunt autem nobis unam tumbam, in qua
corpora illorum trium martyrum, quorum dies erat, quieverunt,
scl. Sanctorum Nerei, Achillei, et Pangratii. In alia argentea
tumba vidimus integrum corpus Zachariae, patris Johannis
Baptistae, cum aperto ore, et juxta eum corpus beati Georii
Nazianzeni, et corpus B. Theodori Confessoris, et corpus S.
Sabinae Virginis et martyris. Miratus autem fui de tantis
reliquiis illius ecclesiae, et fuit mihi dictum, quod filia cujus-
dam Imperatoris fuit ibi quondam Abbatissa, qui ob amorem
filiae corpora illa ad istum locum transtulit. Reliquiis ergo
visis et deosculatis reversi sumus ad locum nostrum.

104

Tertio decimo post prandium navigavimus ad S. Andream
ad Carthusienses, ubi est solemnissimum monasterium mag-
num; propriam occupans insulam, quatuor habens ambitus et
cellas magnas et pulchras. Ibi plures particulares reliquias
vidimus, ut digitum S. Andreae Apostoli, et brachium S.
Laurentii martyris et caetera. Et deinde remeavimus ad
locum nostrum.

164

Quarto decimo die mane navigavimus ad monasterium S.
Georii, ex opposito palatii S. Marci, ultra canale magnum, et
Missam de S. Georio cantari fecimus monachos illius mona-
sterii, et post Missam multas reliquias ostenderunt nobis,
scilicet caput, sinistrum brachium cum integra manu S. Georii;
caput etiam S. Jacobi Apostoli minoris, et corpus integrum
S. Pauli Ducis constantinopolitani, et petiam de spongia
Domini, et alia plura: istis visis remeavimus. (39 A)

064

Quinta decima die, quae fuit octava Ascensionis Domini,
et aequo celebris, ut ipsa prima dies, ascendimus mane ad
S. Marcum, et Missa audita demonstratus fuit nobis S. Marci
thesaurus inestimabilis in auro, argentis et lapidibus pretio-
sissimis. Ibi tumbam cum corpore S. Isidori vidimus. Corpus

214

014

Ende

Anfang

